

9

CARMEN PROPEMPTIKÓN,

# ERVDITIONE ET

# PIETATE PRAESTANTISSIMIS

VIRIS, DOMINO M. BENEDICTO ILOSVANO,

M. Luca Szantai, Georgio Geoncio, Emerico Zilagio, Thoma Feleghazi,

Vrbano Daroci, Valentino Baltha, & Balthasari Szentmihali, VViteber-

ga in patriam redeuntibus, amicis suis charissimis,

& summa fide colendis,

Scriptum à

IACOBO THVRIO PANNONIO

VI. Martij.

Μνημόσυνον Φιλίης τόδ' ὑμῖν ἔγραψ' Ἰάκωβ

Θούρι, ἡμετέρης τοῖς Φιλέσι φίλ.

Ὡςτε θεός δώη μὲν ὑμῖν ἔσπατρίδ' ἰκέσθαι,

Ἐυχόμην, διάγειντ' ἡματα μακρὰ βίη.

Τούσγε σίχης, θυμῷ χαρίεντι λάβεδε, αἰσεν

Θερίη, οὗς ἔταροι, μᾶστατ' ἔδωκεν ὑμῖν.



VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES

CRATO.

ANNO M. D. LXVI.

662

C. 662

ΠΡΟΠΕΜΠΕ

ΤΙΚΟΝ.

**R**es est digna bonis patrias inuisere terras,  
 Semina quæ uitæ prima dedere nouæ.  
 Ergo Pannonicos cum uos tendatis amici,  
 Visere, Turca ferox quos pede pulsat, agros.  
 Erga dilectam patriam præstatis amorem,  
 Erga quam pietas uos iubet ire domum,  
 Namq̄ solum patriæ cunctos deuincit amore  
 Erga se, distent quamlibet inde procul.  
 Immemoresq̄ sui nullos finit esse, perennis  
 Cuilibet in patriam sic amor esse solet.  
 Hei mihi, sed melius uobis fortasse fuisset,  
 Semper in arctoïis delituisse plagis,  
 Pannonicæ quàm nunc oras inuisere terræ,  
 Semper in his fixos atq̄ tenere pedes.  
 Quas de caucasea generatus rupe Tyrannus  
 Possidet, ac igni uastat & ense fero.  
 Vngariæ quondam tenuerunt scepra potentes  
 Reges, posteritas quos pietate colit.  
 Iusticia, pietate, fide, belloq̄ fuerunt  
 Illustres, & quos nôrat uterq̄ polus.  
 In placidaq̄ suos rexerunt pace colonos,  
 Imperium iustum, dum uiguère, fuit.  
 Hos aliæ gentes, reges metuère potentes,  
 Mors tantos potuit tollere sola uiros.  
 His tribuit sedes, fama super æthera nota  
 Vbrs est, de Scythici nomine dicta ducis.  
 Hæc super excelsa lapidosi uertice montis  
 Stat fundata, suum tollit ad astra caput.  
 Mœnia circundant urbem sublimia claram,  
 Quæ loca tuta tibi dant truculente Geta.  
 Hic rapido uitreus cursu delabitur amnis,  
 Inter Pannonicas maximus Ister aquas,

Hic

Hic calidæ subter sunt ardua mœnia thermæ,  
 Non procul à ripis Ister opace tuis.  
 Solis ab exortu se mons extollit ad auras,  
 Nomine qui gaudet diue Gerarde tuo.  
 Altera respicit hanc urbs quæ circundata muris  
 Est altis, Pestum nomine turba uocat.  
 Mons stat ad occasum uiridis septemq̄ trionem,  
 Muneribus diues dulcis Iacche tuis.  
 Condidit hanc Scythicus dux olim nomine Buda,  
 Nomen, ob id, Budam turba uocare solet.  
 Florida sylua comis non longè distat ab urbe,  
 Quæ præbet calidis ligna cremanda focus.  
 Hic simul irrigui fontes, collesq̄ uirentes,  
 Florent horti sunt, & amœnus ager.  
 Aedes Dalmatico sunt hic de marmore structæ,  
 Templaq̄ cum ualidis turribus alta iacent.  
 Aspiciens ciues, dixisses cernere Reges,  
 Iurasses humiles, regia tecta, casas.  
 Non alimenta quibus uegetantur corpora, desunt,  
 Hic dantur paruo Bacchus & alma Ceres.  
 Nam Barona ferax, & Dacia fertilis auro,  
 Quicquid & Vngariæ terra benigna creat.  
 Huc portatur, & est cunctarum copia rerum,  
 Huc adduxit opes Pannonis ora suas.  
 Nonc caret hæc opibus proprijs, nam munera Bacchi  
 Et Cereris, tellus humida, larga creat.  
 Quin & ab australi, ualida conspectior urbe  
 Arx est in gelido condita monte, plaga.  
 Regibus Vngaricis hæc aurea regia quondam,  
 Hæc hostes contra præsidiumq̄ fuit.  
 Magnificis hic sunt extructæ sumptibus, olim  
 Quas regni proceres incoluère, domus.  
 Suntq̄ coloratis ornata palatia gemmis,  
 Quæ de Mygdonio marmore facta, ferunt.  
 Hic antiquorum regum monumenta supersunt,  
 Hicq̄ nitent aris aurea templa sacris,

A 2

Hic sta-

Hic statuae visae sunt tres ex aere corusco,  
Artificis doctae quas coluere manus,  
Claugeri formas referebant Herculis apte,  
Laurigeri Phœbi, Syluicolæq; Deæ.  
Rex quoq; Matthias Coruinus nomine dictus,  
Dicitur ante fores, has, habuisse suas.  
Ornatus Tyrin, nec non virtutis honestæ,  
Viuerè dum licuit, qui studiosus erat.  
Ast ubi Bistonius princeps est vrbe potitus,  
Dicitur ad patrios hasce tulisse focos.  
Pannonicis uictor cum discessisset ab oris,  
Cepissetq; domos inclyta Buda tuas.  
Nunc habet urbs opibus Byzantia structa superbis,  
Victrix imperij Martia Roma tui.  
Ac antiqua manent inter monumenta locata,  
Declarant vires ut Geta dire tuas.  
Buda caput, reges donec uixere potentes,  
Totius Vngariæ metropolisq; fuit.  
Sceptra potens multos uictoria rex in annos,  
Terruit hæc hostes nomine sæpè suo.  
Nunc habet hanc Scythica natus de stirpe Tyrannus,  
Dans populis patriæ iura seuera meæ.  
Et dominantur in hac, immania monstra, Cyclopes,  
Terra, quæ reges fouerat antè sacros.  
Qui nunquam nouere Deum, neq; quid sit honestum,  
His curæ pietas est neq; religio.  
Quin potius contrà CHRISTI uenerabile nomen,  
Blasphemos edunt ore patente sonos.  
Immani gentes superant feritate feroces,  
Atq; premunt sanctos Christe benigne tuos.  
Hi uastant agros, euertunt funditus urbes,  
Aequant & uiridi plurima regna solo.  
Infantes teneros hi coram matribus, eheu,  
Conscindunt, homines innumerosq; necant.  
Hi miseros torquent homines post terga reuinctos,  
Captiuasq; trahunt ad sua tecta, nurus.

Hi natos

Hi natos in vincla trahunt à morte parentum,  
Natorum iugulant inq; cruore patres.  
Hi teneras rapiunt ad stupra nefanda puellas,  
Matronas probris afficiuntq; pias.  
Hi sanctas abolent à prisca regibus oras  
Leges, & violant templa dicata sacris.  
Sic Mahometigena nunquam truculentior vlla  
Inter eas gentes, quas habet orbis, erit.  
Hei mihi, sic nostri capitis stellata corona  
Concidit, & patriæ mœnia quassa iacent.  
Nam medio postquam reges ex agmine vitæ,  
Astu sublatis sunt Geta sæu e tuo.  
Non pietas, pax alma viget, probitasq; fidesq;  
Sancta nec in vero iura rigore manent.  
Spontè facit nemo, ratio quod dicat honesta,  
Quilibet at præceps in scelus omne ruit.  
Nobilitas antiqua iacet, perire potentes,  
Illustres armis quiq; fuere, viri.  
Magnanimus nec non misera cum plebe senatus,  
Vrbibus in patrijs concidit, atq; forum.  
Hei mihi, funestis nunc ardent omnia bellis,  
Tu subiecta quibus, Pannonis oras, iaces.  
Inter se reges hinc certant Marte cruento,  
Hinc armis, hominum maxima turba perit.  
Sæpè pater natis, est frater fratribus hostis,  
Mutua sic stygiæ corpora dantq; neci.  
Hinc alij factis perturbant regna scelestis,  
Gentibus & totis publica damna parant.  
Casibus ex proprijs, alij commune periculum  
Et fuso cædes, sanguine mille, patrant.  
Seditio multos, & amor sceleratus habendi  
Perflat, & hinc alijs prælia sæua cient.  
Illinc Turca ferox, vrbes expugnat & arces,  
Igne cremans fines patria terra tuos.  
Mutua discordes faciunt dum prælia reges,  
Vtq; sit in bello victor vterq; cupit.

A 5

Turca

Turca superueniens ambobus nobile regnum  
Eripit, & nostras diripit hostis opes.  
Sed quid multa queror? traxerunt fata ruina,  
Imperium regni floruit, ecce iacet.  
Nos quoque floruimus, reges dum viuere nostros  
Fas fuit, & populis iura dedere suis.  
Ast ubi, sic duris vrgentibus (vt puto) fatis,  
Vis patrij regni debilitata fuit,  
Flores cum regni lætis cecidere triumphis,  
Sic peccata sequi poena seuera solet.  
Namque libido Tyrannis & hæc, idola merentur,  
Quæ delere viros, lataque regna solent,  
His fuerat vitij & Pannonis ora referta,  
Pro quibus hæc illi poena luenda fuit,  
Huc iter est vobis per mille pericula vitæ,  
O socij, Musis turba dicata sacris.  
Leucorea vos huc properatis ab vrbe redire,  
Lingentes nostræ docta lycæa scholæ.  
In qua Musarum coluistis castra labore  
Assiduo, vobis hinc decus omne venit.  
Ingenuas siquidem didicistis iugiter artes,  
Quæ vos ad superum tecta beata leuant.  
Ac primum studijs iunxistis græca latinis,  
Et mox hebræi mystica verba soni.  
Ergo sacris literis, Musis & Apolline cincti,  
Optataque graues ibitis arte domum.  
Doctrina quoniam qui clarus & arte Magister  
Es, decus & patriæ gloria magna tuæ.  
Exornant triplicis, Musæ, te munere linguæ,  
Tres tibi nam linguas discere cura fuit.  
Auribus hausisti cupidus ex ore PHILIPPI,  
Tradita doctrinæ semina vera sacræ.  
Vndoso postquam redijsti lætus ab Albi  
In patriam, clario te comitante choro.  
Cura Iuuentutem rectè tibi prima tenellam,  
Vrbibus in nostris erudijisse fuit.

Artibus

Artibus hanc doctis triplicis quoque dogmate linguæ,  
Formasti que sacra religione DEI,  
Cæperit ex te quos fructus studiosa Iuuentus,  
Versibus hinc opus est nil recitare meis,  
Postea diuinum munus pastoris obiisti,  
Proponens populo dogmata sancta DEI.  
In quo te longos, precor, vt conseruet in annos,  
Aeterno CHRISTVS de genitore satus,  
Venisti certis de causis rursus in urbem  
Hanc, linquens patrij florida rura soli.  
O quam gratus erat dominis Doctoribus, atque  
Nobis aduentus, vir venerande, tuus,  
Rursus erit nobis discessus tristior, eheu  
In patriam CHRISTO, cum duce carpis iter.  
Hinc tibi quæ fuerant peragenda negocia, prudens  
Tractasti stabili foedera iuncta fide.  
Auxeris in quantum nostræ tu gentis honorem  
Hoc facto, non est commemorare meum.  
Me quod habere tuos dignatus es inter amicos,  
Sincero grates pectore semper agam.  
Officiumque meum commendo, tibi que probabo  
In cunctis, donec viuere fata dabunt.  
Tu quoque pars animæ nostræ, doctissime Luca  
Es qui Pegasei lausque decusque chori.  
Hac operam literis studiosus in vrbe dedisti,  
Dicitur à populo quæ Vuiteberga suo,  
Musarumque graui coluisti castra labore,  
Dum redijt Phœbus per sua signa quater.  
Est tibi quæ nomen dignata dedisse Magistri,  
Pastorem fecit Christicolæque gregis.  
Leucoris est bis visa, semel viuente Philoppo  
Mox tibi, cum vitam finijt ille suam,  
Audisti vocem cantantis dulce PHILIPPI,  
Tradentis veræ religionis opus.  
Ex quo doctrinæ didicisti semina veræ,  
Protulit ex Patris quam λόγος ipse sinu.

A 6 Ausoniae

Aufoniæ, Graiæ nec non, idiomata linguæ,  
Inde Palestinæ, cura tenere fuit.  
Sæpè sed à sacris te distraxère camœnis  
Cura, labor, morbi, sollicitudo, dolor.  
Inclutus, vt Musas coleres, sumptus tibi princeps  
Milit, Alagiæ gloriâ magna domus,  
Quem seruire DEVS multos dignetur ad annos,  
Vt studijs possit consuluisse sacris,  
Qui nunc Albiacas cogit te linquere Musas,  
Ad patrios mandans inde redire focos.  
Ergo tuis ibis Luca cariturus amicis,  
Pauperis ad patriæ diruta testa, pedes,  
Saxonico sed ego desertus in orbe manebo,  
Conspectuq; tuo iam cariturus ero.  
O vtinam longo licuisset tempore tecum  
Viuere, pro voto dulcis amice meo.  
O si Leucorides possent tardare Camœnæ  
Te, simul & cursus detinuisse tuos.  
Sic etenim cupidos satiare diutius ignes,  
Posset amicitiaë dedita turba tuæ.  
Plurima priuatim tecum iucunda locutus  
Es, lepidis addens serâ sæpè iocis.  
Quæ quoties animo meditanda reuoluero tecum,  
Occurrer præsens semper imago tui.  
Sed nil vota valent, nam te discedere cogit  
Cara parens, patriæ te vocat æquus amor.  
Te reuocat princeps, Alagina stirpe creatus,  
Illustris generis nobilitate, tuus.  
Vt patriæ tradas mysteria tradita cælo,  
Quæ sunt æterni iussa verenda Dei.  
Oro memor nostræ sis consuetudinis, ipse  
Non obliuiscar tempus in omne, tui.  
Turbidus & citius Nilo miscebitur Ister,  
Aufonios vndis obruet Albis agros.  
Corniger in Drauum Rhenus simul influet amnem,  
Aruaq; spumiferis præoua findet aquis.

Sol

Sol prius obscuræ præbebit lumina nocti,  
Ortu Luna suo proferet alta diem.  
Cunctarumq; prius rerum mutabitur ordo,  
Quam tuus è nostro pectore cedat amor.  
Vos quoq; dilecti fratres, quicumq; redire  
Ad patrios, CHRISTO iam duce vultis agros.  
Leucorea sacras coluistis in vrbe Camœnas,  
Quæ vobis olim præmia digna dabunt.  
Hic dignas doctis didicistis mentibus artes,  
Mores, esse feros, quæ prohibere solent.  
Insuper & linguas vobis tres discere, cura,  
Quæ reliquas superant nobilitate, fuit.  
Quas decet, est & opus didicisse fideliter omnes,  
Qui docti cupiunt nomen habere viri.  
Exculti doctis insigniter artibus ergo,  
Liguarum pariter cognitione trium,  
Ibitis Vngariæ coram cernatis vt oras,  
Quas ferus immitti diruit ense Getes.  
Ast ego vobiscum vixisse diutius vnâ  
Oprassem, verum viuere fata negant.  
Præ reliquis verò tecum doctissime Thoma,  
Mensa mihi quo cum præbuit vna cibum.  
Conuictus quoniam suauis, iucunda voluptas,  
Dulce mihi tecum colloquiumq; fuit.  
Sæpius vtilium fuit & collatio rerum  
Inter nos, memori quas ego mente colam.  
Vinxerat vnanimis firmo nos copula nexu,  
Dulcis & in nostro pectore creuit amor.  
Quicquid habent vatis diuina volumina Mosis,  
Alternis vicibus cura referre fuit.  
Alternis varias tecum sermonibus horas,  
Res iucunda mihi, fallere, visa fuit.  
Albiaca mihi vobiscum coniunctio vitæ  
O reliqui fratres, dulcis in vrbe fuit.  
Assidue studijs sectati nam sumus iisdem,  
Virgineo natas ex Helicone Deas.

Plurima

Plurima de sacris literis collata fuerunt,  
Inter nos eadem sunt agitata diu.  
Plurima de studijs quoq; sunt quaesita profanis,  
Seria nunc blandis mista fuere iocis.  
Nulla mihi quorum uenient obliuia, donec  
Hic mea uitalis spiritus ossa reget.  
At uotis obstant nostris contraria fata,  
Quae nostri nexus soluere uincla ualent.  
Quae modo vos cuperent retinere diutius, una  
Viuentiq; uelint tempora longa dari.  
A nobis amor in patriam sed cogit abire  
Vos, cuius uehemens sollicitudo tenet.  
Vos urbes patriae reuocant, dulcesq; parentes,  
His ut tradatis dogmata sacra Dei.  
Iam uobis aliquam, quamuis turbata, quietem,  
Continuis bellis, Pannonis ora dabit.  
Sed metuo dulcem ne bella domestica pacem  
Tollant, quae Musis sunt inimica sacris.  
Quae modo fatales minitantur adesse ruinas  
Pannoniae, quibus & debilitata iacer.  
Proh dolor, hanc extremus agon urgere uidetur,  
Heu subito regni tempore finis erit.  
Ac uereor ne nunc ex toto poena, magnis  
Gens cum principibus, marte furente cadat.  
Ast orare Deum debemus ut arma quiescant,  
Exaudire pias nam solet ille preces.  
Ergo magne DEVS, qui caelica regna gubernas,  
Cuius & ad nutum cuncta creata tremunt.  
Te precor, hoc a te uotis ardentibus opto,  
Prostratus genibus numen adoro tuum.  
Reliquias nostrae gentis quaecunq; supersunt,  
Ut seruare tua pro bonitate uelis.  
Ac animos Regum flectas huc flamme sancto,  
Quos regis ut cursus fluminis ipse uagos.  
Concordes ut sint, totis & uiribus illud,  
Pax ut in Vngaria constituatur, agant.

Audi

Audi sancte DEVS, patrijs e finibus atq;  
Tristia tolle feri praelia Martis opus.  
Tu prohibe fratres a fuso sanguine fratrum,  
Corpus ut alterius laedere nemo uelit.  
Sauiat alter in alterius nec uiscera, quondam  
Fecit ut ex Cadmi semine nata cohors.  
Redde pijs pacem, melius nam pace quieta  
Vtiliusq; nihil mundus habere potest.  
Ut tibi diuinos in pace feramus honores,  
Carmine tollentes nomen ad astra tuum.  
Iam populi miserere tui, pro nomine CHRISTI,  
Qui praebet Scythico colla putanda Getae.  
Auxilioq; tuis praesente fidelibus adsis  
Qui sacris studijs dedita turba sumus,  
Hos etiam fratres, patriam qui uisere tendunt,  
Redde suis saluos, incolumesq; reduc.  
Sit comes ipsorum, tutans praesentibus alis,  
Angelicus nitida missus ab arce chorus.  
Ut cum Pannonicos dabitur contingere fines,  
Dilectis patribus dulce leuamen eant.  
Formandaeq; luuentutis cum munus obibunt,  
Seu tradent populo caelica uerba tuo.  
Tu sacris benedic pie CHRISTE laboribus, ipsis  
Sit dextrae praesens auxiliumq; tuae.  
Nestoreos ut sic uiuentes molliter annos,  
Sint merito laudis plebs studiosa tuae.  
Audi sancte Pater, gemitus & uora precantis,  
Quae sunt ex uera uerba profecta fide.  
O aliquam patriae tandem concede quietem,  
Aeterni soboles unica CHRISTE patris.  
Ite bonis auibus, bene uosq; ualete sodales,  
Et memores nostrae litis amicitiae.  
Ite uiatores, patrias inuisite sedes,  
Ocyus ad uestros inde redite lares.  
Ite, salutetis fratres nostrosq; sodales,  
Quosq; tenet doctos Pannonis ora uiros.  
Ite, meumq;

Ite, meumq; precor, fratrem saluere iubete,  
Thurius à patria dicitur ille sua.  
Ciuibus hinc patriæ, vos, cum prudente Senatu,  
Prosperadicetis nomine cuncta meo.  
Aeternas mea Musa quibus persoluere grates  
Debet, nam studijs consuluere meis.  
Hos precor, vt Christus foueat spiramine sancto,  
Et det Nestoreos viuere posse dies.  
Afferat ipsorum cum libertate salutem,  
A Mahomerigenis vindicet atq; Getis,  
Pannonias salui sic perueniatis ad oras,  
Mitia dent longos viuere fata dies.  
Vestra suo moueat flatu sic pectora sancto,  
Organa sic faciat uos sua CHRISTVS, Amen.

169.

